



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quòd abusus sit, dum humana praecepta diuinis praeferuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Magna ergò differentia habenda est inter opera aut virtutes, quæ sunt potissimi cultus, vt fides, charitas, &cæt. ab his qui sunt ministri illorum, vt cęremonię, ritus, &cæt. Et inter opera quæ Deus per se & ore suo mandauit, & inter ea quæ patres in finem politicum ordinãrunt, nõ vt essent cultus qui mererentur iustificationem: accipit enim fides illam in Christum gratis, ante opus quodcunque.

3. Magna ignorantia, cęcitas & abusus creuit in Ecclesia, quòd homines maiori ferè ex parte nesciunt differentiam inter opera & pręcepta Dei ac humana pręcepta, quantum obligent hæc vel illa: Et inde est quod diligentius custodiuntur humana pręcepta quam Dei, & grauius puniuntur transgressores horum, & maxime apud religiosos. Illos etiã Christus increpat Matt. 23. dicens: Vę vobis scribę & pharisęi & hypocritę, qui decimatis mętham, anethum, & cyminum &cæt. & relinquitis quæ sunt maiora legis, scilicet fidem, misericordiam, iudiciũ. Sic quando Deus cum suis pręceptis rejicitur, & homo cum suo pręcepto exaltatur. Et quando citius obediunt hominibus, quam plus timent temporalem correctionem, quam punitionem Dei æternam, qui tamen comminatur in tertiam & quartam generationem visitare parentũ peccata, qui non seruauerint eius pręcepta, Exod. 20. Tales comminationes nullum pręceptum humanum legitur habere. Deindè grauissimè errãt homines circa pręcepta humana, quòd putant hos ritus mereri remissionem peccatorum & vitam æternã, quod si illi Christo debetur: alioqui gratis venisset, Gal. 2. legitur Christus talẽ abusum & errorem rejicit Matt. 23. Frustrã me colunt, docētes doctrinas & mandata hominum, scilicet quasi illa iustificent & saluent: hoc esset furari Christo officium suum. Attamen si summi ordinis causa & in finem politicum, ad laudẽ & testimonium fidei, non sunt inuiles, sicut patet Danieli.

Et Hieremie 35. Et Ioannes Baptista commendatur de cibo, potu, & vestitu, quorum tamen nullum præcepit Deus, ipse tamen digito demonstrabat Christum iustificatorem omnium, cum diceret. Ecce agnus Dei &c. Ioan. 1. Rom. 3. Insuper è diuerso hoc falsum est, quòd in hoc seculo damnantur, penitus doctrinæ & præcepta humana, & tamen non magis & diligentius obseruantur præcepta diuina & scriptura, immò plus contemnantur, & cum damnatione humanarum doctrinarum simul & præcepta Dei atq; verbum eradicantur: vt nunc neq; humana præcepta, neq; diuina obseruentur: nec humanæ doctrinæ, nec diuinæ literæ seruentur: & hoc est malum huius nostri seculi.

CAP. XXXXVI.

ARGUMENTA.

1. *Quare Deus dedit legem Decalogi & præcepta populo.*
2. *Quibus imputetur impletio legis.*
3. *In quem finem lex est abrogata.*

DEVS dedit legem populo, vt sciret quæ faceret, quæ uero omitteret, vt Deo placeret, ne populus alium cultum vel alia opera excogitaret, quæ Deo non placerent, sicut faciunt Gentes idololatræ: quare certi iam sumus de Dei uoluntate, quòd hæc præcepta si seruantur, Deo placeant, & is colitur & honoratur: & hæc est sua uoluntas, & ideo uocat populum suum proprium de cunctis gentibus & populis, qui hæc sua seruant præcepta: promittit etiã varias benedictiones Exo. 19. seruantibus, & maledictiones negligētibus: ideo certo scimus, quòd Deo placeant hæc opera, quando ex Leuit. 26. & Deu. 28. Fide seruauerimus obedientiam præceptorum: etiam certo scimus, quid sit peccatum, & quãdo peccemus & ma-